



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Theologia Moralis

Reiffenstuel, Anaklet

Monachii, 1699

IV. Quænam intentio, & attentio requiratur ad recitationem Horarum
Canonicarum?

urn:nbn:de:hbz:466:1-40206

pars Officij Diei Animarum, cui idcirco in Calendario, & Martyrologio, tribuitur nomen Commemorationis Defunctorum: Litanæ autem ut præfatis diebus privatim dicantur ab ijs, qui non interfunt Processionibus, expressè præscribunt Rubricæ. Neque Litanias commemorat, & excipit B. Pius V. in præallegata Bulla, quæ tamen jam olim præceptæ fuerunt *c. Rogationes. de consec. dist. 3.* Accedit communis sensus Doctorum, & praxis Fidelium, optima legum interpretis.

37. Et per hoc patet ad rationem in oppositum. Siquidem B. Pius V. de Litanis nullam facit mentionem, ac proinde obligationem easdem privatim dicendi non tollit. Et dum obligationem recitandi privatim, seu extra Chorum, Officium Defunctorum in citata Bulla sustulit, loquitur de diebus Ferialibus, quæ illud Officium aliquoties per annum dicendum esse, voluit Rubricæ: non autem sub hac generali abrogatione, seu deobligatione, comprehenditur Dies Commemorationis Defunctorum, cum sit pars Officij illius Diei. Atque ex his inferunt Doctores, Beneficiarium talia cessante justo impedimento non recitantem, teneri ad restitutionem fructuum pro rata partis omittæ.

Solvitur ratio dubitandi

Q U Æ S T I O I V.

Quanam intentio, & attentio requiratur ad recitationem Horarum Canonicarum?

38. **E**st hic recolendum ex dictis *Quaest. 1. num. 3.* quod in *c. Do-* Quid sit, Studiosè & Devotè celebrare Officium Divinum? *lentes de Celebrat. Missar.* præcipiatur, ut Divinum Officium Studiosè celebretur pariter & devotè. Ubi Glossa notat, *Studiosè* quantum ad officium oris, verba non syncopate pronuntiando. Et devotè quantum ad officium cordis; juxta illud Apostoli, *Ephes. 5.* Cantantes, & psallentes in cordibus vestris Domino: unde Glossa *c. Cantantes, dist. 92.* hosce vulgatos versiculos refert:

*Non vox, sed votum; non musica chordula, sed cor;
Non clamans, sed amans, cantat in aure Dei.*

Igitur ad devotionem, seu officium cordis, requiritur cum intentio, tum attentio, de qua alij duo versiculi sic canunt:

*Dirige cor sursum: bene profer: respice sensum,
Inq; Chorone sis corpore, mente foris.*



Attentio
circa ora-
tionem vo-
calem tri-
plex, ad ver-
ba, ad sen-
sum, ad fi-
nem oratio-
nis.

39. Advertendum quoque cum D. Thoma 2. 2. q. 83. art. 13. & communi Doctorum, quod attentio triplex sit, quæ orationi vocali potest adhiberi: una ad verba, qua attenditur ad verba, ne aliquis in eis proferendis erret. Secunda ad sensum verborum, qua attenditur, quid verba significant; & hanc habere nequeunt ignari illius idiomatis, in quo recitatur Divinum Officium, v. g. Moniales ignorant linguam latinam; quamvis possint habere primam & tertiam attentionem, sicque omnino satisfacere. Et tertia ad finem orationis, qua nempe attenditur ad Deum seu terminum nostræ orationis, & ad rem, pro qua oratur: quæ est omnium optima, atque etiam ab idiotis, linguæque, in qua Divinum Officium recitatur, ignaris haberi potest. Prima harum attentionum, ut ait Filliucius, dicitur materialis, secunda litteralis, & tertia spiritualis.

Requiritur
intentio
orandi.

(d) De hoc
Tract. 2.
Dist. 3.
n. 44.

Sufficit ta-
men ad sa-
tisfacien-
dum inten-
tio virtualis.

40. CONCL. I. Certum est, intentionem aliquam orandi, seu recitandi Horas Canonicas necessariam esse: aliàs ejusmodi recitatio non esset actus humanus, honestus ac devotus, neque propriè oratio. Unde si quis legeret Horas Canonicas in somnio, sub quo nonnulli loqui solent, vel recreationis aut studij causâ, talis non impleret præceptum, quia non haberet intentionem orandi. (d)

41. CONCL. II. Ad orandum, & satisfaciendum præcepto, sufficit intentio virtualis ac implicita, neque requiritur necessariò intentio expressa & formalis. Ita Navarrus *cap. 13. de Oratione, num. 16. & seqq.* Filliucius *tract. 23. cap. 2. num. 71.* & Doctores communiter. Ratio est: quia ejusmodi intentio virtualis, ac implicita, sufficit ad actum moralem. Talis intentio v. g. est in eo, qui habet voluntatem satisfaciendi suæ obligationi, vel dicendi Horas Canonicas, ut debet. Imò sufficere ajunt, animo deliberato capere Breviarium, ire ad Ecclesiam seu Chorum, ita ut interrogatus verè responderet, se id facere ad recitandum Horas, vel satisfaciendum suæ obligationi. Et hoc confirmatur ex dictis supra *Tract. 2. Dist. 3. Quest. 5. num. 45. & seqq.* ubi ostensum est, ad satisfaciendum præcepto non requiri specialem intentionem satisfaciendi (dummodò non habeatur intentio contraria) sed sufficere intentionem præstandi opus, quod præceptum est, utputà studiosè pariter & devotè recitandi Divinum Officium.

qualibet
attentio,
tam ad ver-

42. CONCL. III. Loquendo nunc de attentione, sufficit quidem ad satisfaciendum præcepto recitandi Horas Canonicas, qualibet trium supra enumeratarum attentionum, videlicet ad verba,

verba, ad sensum, & ad Deum vel finem Orationis : tamen secunda attentio est præstantior, quàm prima; & tertia, quàm secunda. Ita post D. Thomam *loc. cit.* communis Doctorum. Nectat tamen Navarrus *cap. 28. de Orat. n. 28.* id quod de tertia attentione ad Deum dicitur, esse intelligendum, dummodò interim, quantum necesse est, attendatur, ne orans erret in verbis, dicendo aliud vel aliter, quàm quod vel quomodo præceptum est.

43. CONCL. IV. Qui voluntariè, seu suâ spontè distrahitur, & toto animo in alia per cogitationem disperso, atque adeò absque ulla prædictarum trium interiori attentione Horas Canonicas persolvit, non videtur satisfacere præcepto. Ita communior, probabilior, & securior Doctorum sententia, quam tenent Azorius *cap. 12. quest. 6.* Bonacina *disp. 1. quest. 3. punct. 2. §. 2.* Mastrius *disp. 2. Theol. Moral. num. 92.* Sannig *quest. 2. num. 11.* Herincx, Navarrus, Lessius, Suarez, Reginaldus, Layman, aliique plures: quamvis non desint oppositum tenentes, quos citat & sequitur Diana *part. 1. tract. 12. resol. 2.* qui volunt, interiori attentionem ad Horas Canonicas non requiri, sed sufficere exteriori; ut videlicet eas recitans, exterius reverenter assistat, nec sese occupet in aliquo negotio incompatibili cum attentione interiori, utputà confabulando, scribendo, jocando, &c. hancque solam exteriori attentionem (inquiunt) præcipi in sæpè *cit. c. Dolentes, de Celeb. Missarum*, non autem interiori.

44. Probatur tamen Conclusio. Quia *cit. c. Dolentes*, præcipitur, ut Officium Divinum devotè recitetur: atqui devotio est actus internus; ergo. Confirmatur. Oratio non subsistit sine omni interiori attentione, neque est actus Religionis, sed potius simulatio quædam devotionis aut orationis, quam merito Christus reprehendit, *Matth. 15* dicens: *Populus hic labijs me honorat, cor autem eorum longè est à me*; ergo solam exteriori orationem sine ulla prorsus interiori attentione non potuit Ecclesia præcipere, & consequenter eà sola non sufficit ad satisfaciendum præcepto.

45. Nec dicas. Ecclesia non potest præcipere actum internum; ergo neque attentionem internam in Horis Canonicis. (e) *Confor. Resp. enim (e)* quamvis Ecclesia non possit per se ac directè præcipere actum merè internum, ac seorsim sumptum; potest tamen Ecclesia ipsum compræcipere, seu indirè & concomitantè præcipere unà cum actu externo, quando ad ejus rationem, & seq.

ba, ad sensum, quate ad Deum, sufficit.

Voluntariè distractus absque ulla interiori attentione, non videtur satisfacere.

Opposita quorundam opinio refertur.

Ratio Conclusionis.

Solvitur obiectio.

(e) *Confor. Resp. enim (e)* quamvis Ecclesia non possit per se ac directè præcipere actum merè internum, ac seorsim sumptum; potest tamen Ecclesia ipsum compræcipere, seu indirè & concomitantè præcipere unà cum actu externo, quando ad ejus rationem, & seq.

nem, seu moralem substantiam, actus interior requiritur. Prout in proposito attentio interior requiritur ad rationem orationis, cum hæc sine ulla attentione interiori potius esset simulatio orationis, ut dictum: Ecclesia verò non præcepit simulationem orationis, sed orationem devotam.

Leviter

duntaxat di-
stractus sa-
tisfacit.

Et facile
est, satisfaci-
ere

46. Dicitur notanter in Conclusionem, *voluntariè, seu sua sponte distrahitur, & toto animo in alia per cogitationem disperso &c.* Nam in primis, si quis Horas Canonicas animo duntaxat leviter distrahit, juxta communem & certam Doctorum sententiam mortaliter non peccat, & satisfacit præcepto. Et certè, cum sola attentio ad verba sufficiat, facile est, præcepto Ecclesiæ in hac re satisfacere, ut benè notat Lessius *lib. 2. de just. & jure, cap. 37. n. 69. & 70.* Ubi etiam addit, si quis cum hac attentione, saltem confusâ, ad Deum, vel ad verba, possit simul ad alia attendere (sicut illi, qui ternas simul, vel plures epistolas dictant) quod talis satisfaceret præcepto Ecclesiæ, nec peccaret mortaliter, juxta Navarrum *cap. 13. num. 23.* quamvis peccaret venialiter ob irreverentiam admissam.

Quid, si di-
stractio non
sit plenè vo-
luntaria?

Vel omninò
involunta-
ria?

47. Deinde si distractio non sit plenè voluntaria, vel contrahatur solum ex imperfecta animi deliberatione, rursus certum est, satisfieri præcepto, nec committi peccatum mortale; quamvis ob negligentiam in repellendis distractionibus commissam quandoque peccatum veniale contrahatur. Quod si autem distractio omninò fuerit indeliberata, atque involuntaria, & patienter tolerata, homine quod in se est faciente; tunc ejusmodi distractiones, quibus homo invitus abripitur ex humana fragilitate, nequaquam ei ad ullum peccatum imputabuntur: imò sunt non raro homini devoto materia patientiæ, mediūque, quo Deus animas nostras superbia, vanæque gloriæ inquinamenti tutari, propugnareque solet.

Remedia ad
repellendas
distractio-
nes oppor-
tuniora,
quæ?

48. Quæres, quænam sint remedia ad repellendas animi distractiones opportuniora? Resp. esse potissimum sequentia. Primum est, æstimatio magna de Divino Officio: oratione siquidem Deum alloquimur, quia teste S. Damasceno *lib. 3. de Fide, cap. 24. Oratio est ascensus mentis in Deum;* simulque Breviarium plenum est pulcherrimis Virtutum affectibus, utilissimisque petitionibus ab ipso Spiritu sancto dictatis. Secundum, renovatio attentionis per certa intervalla, maximè ad versum *Gloria Patri* procurata. Tertium, accurata sensuum custodia, quæ est mater & conservatrix devotionis. Quartum, præsentia Dei, & Sanctorum

Horum, memoriam firmiter, ab initio maxime orationis, per devotam preparationem impressa. Et tandem remedium ultimum est obligationis nostrae, & officij consideratio, si videlicet quis perpendat, se ideò ab Ecclesia ordinatum esse, ut Dei obsequio laudibusque se totum impendat, & quasi Legatus necessitates Sanctae Matris Ecclesiae, Fideliumque petitiones Deo proponat, & commendat.

Q U A E S T I O V.

De Integritate, Continuatione, Ordine & Qualitate, quibus persolvendae sunt Horae Canonicae.

49. **A**D studiosam, & devotam Horarum Canoniarum recitationem, juxta Doctores communiter, septem requisita ad debitam Horarum Canoniarum recitationem. Septem requisita ad debitam Horarum Canoniarum recitationem. comprehenditur) Integritas, Continuatio, Ordo, Qualitas, Locus, & Tempus accommodatum. Et quia de Attentione ad recitationem Horarum Canoniarum requisita jam dictum *Quaest. praec.* hinc de alijs sex requisitis, pro majori hujus materiae quotidie occurrentis intelligentia, singillatim dicitur in hac, & sequenti *Quaestione.* Quantum igitur imprimis attinet ad Integritatem Divini Officij, seu Horarum Canoniarum, sic

50. **CONCL. I.** Contra Integritatem Officij Divini (praeter eos, qui illud vel ex toto, vel quoad partem notabilem penitus omittunt) peccant, qui Horas Canonicas recitant verba mutilando, syncopando, deglutendo, si id scienter fiat: secus, si id vel vitio linguae, vel consuetudine quadam inveterata, & quodammodo in naturam conversam, accidat. Ita communis; & colligitur ex *c. Dolentes. de Celebrat. Missar. & Clem. 1. eod.* ubi taliter verba syncopantes, merito reprehenduntur. Ordinarie tamen preces, quae ita recitantur, non sunt necessario repetendae: nam etsi non nihil ea in re peccetur, legis tamen substantia servatur, atque regulariter parvitas materiae excusat: nisi sit defectus omnino gravis, tunc enim secus foret dicendum. Contra Integritatem Officij Divini, qui peccant? Et quomodo?

51. **CONCL. II.** Satisfacit praeepto Ecclesiae, qui Horas Canonicas recitat alternis versibus cum socio libero, ac minime ad eas recitandas obligato. Ita communis, & patet ex praxi quotidiana: nihil enim refert, an socius sit praeepto adstrictus, Satisfacit, qui recitat cum socio non obligato. nec